Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

multi qui in hoc mundo florere uidebantur. Cum se sine fructu conspexerint
arescent. tunc fides quae sine operibus uixerit probante se iusti iudicis igne marces
cet. Nec mirum homines hoc est uel natura uel sensu terrestres ad eius iudicii
turbari cuius aspectum et ipsae caelorum uirtutes hoc est angelicae trement potesta
tes. Beato quoque iob attestante qui ait. Columnae caeli contremescunt
et pauent ad nutum eius. Quid ergo faciunt tabulae quando trement columnae.
quid uirgula deserti patitur cum cedrus paradisi concutitur. l ccl viii / II / a ccl viiii / R cl i

Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube
cum potestate magna et maiestate.

In potestate et maiestate uiri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt .G.
ut uirtutem eius tanto districtius sentiant. quanto nunc ceruicem cordis ad
eius patientiam non inclinant. Sed quod haec contra reprobos dicta sunt.
mox ad electorum consolationem uerba uertuntur. Nam subditur. LXXXVII

His autem incipientibus fieri. Respicite et leuate capita
uestra quoniam adpropinquat redemptio uestra.

Cum plage inquit mundi crebrescunt cum terror iudicii uirtutibus commotis osten
ditur; Leuate uos capita. id est exhilarate corda quia non dum finitur mundus
cui amici non estis prope sit redemptio quam quesistis in scriptura et enim sacra
sepe caput pro mente ponitur. quia sicut capite reguntur membra. ita cogitationes men
te disponuntur. Leuare itaque est capita mentes nostras ad gaudia patriae caelestis erigere.
Quod autem calcari mundus ac despici debeat per uida domini conparatione manifestat. Nam sequitur.

Et dixit illis similitudinem. Uidete ficulneam et omnes arbores
cum producunt iam ex se fructum scitis quoniam prope est aestas. Ita
et uos cum uideritis haec fieri scitote quoniam prope est regnum dei.

Aperte ergo docet quia sicut ex fructu arborum uentura aestas agnoscitur. Ita ex
ruina mundi prope esse agnoscitur regnum dei quibus profecto uerbis ostenditur. quia fruc
tus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit ut cadat. Ad hoc germinat atque quae germina
uerit cladibus consumat. Bene autem regnum dei aestati conparatur quia tunc meroris
nostri nebulae transeunt et uitae dies aeterni solis claritate fulgescunt quae omnia cum magna
certitudine confirmantur cum sententia subiungitur qua dicitur.

Amen dico uobis quia non praeteribit generatio haec donec omnia fiant. .R.

Multum quippe commendat dominus quod ita pronuntiat. quodam modo si dici fas est iuratio
eius est, Amen dico uobis, Amen enim uerum interpretatur. et tamen non est interpretatum
cum potuisset dici. Uerum dico uobis. Nec grecus hoc interpres ausus est facere. Nec la
tinus sic mansit non est interpretatum ut honorem haberet uelamento secreti. non ut esset